Ros Dok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Nicolaus Schütze    Johannes Havelandt

# Decreto & Authoritate ... ICtorum Ordinis in florentißima Rostochiensi Academia Disputationem Hanc Inauguralem. De Poenis Temperandis, Ex L. Aut facta 16. ff de Poenis.

Rostochii: Kilius, 1637

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731657063**

Druck    Freier Zugang    PUBLIC DOMAIN

Strafmilderung

N. Schütt (J. Havelandt) Vert. /6

R. U. im 1637.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn731657063/phys_0001

DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn731657063/phys_0002
DFG

9

QUOD DEUS OPTIMUS MAXIMUS FELIX FAUSTUMQUE ESSE VELIT.

*Decreto & Authoritate Magnifici & Ampliſsimi JCtorum Ordinis in florentiſsima Roſtochienſi Academia*

# DISPUTATIONEM HANC INAUGURALEM.

*De*

# POENIS TEMPERANDIS,

*Ex L. Aut facta 16. ff de Pœnis.*

SUB PRÆSIDIO,

*VIRI AMPLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI,*

DN. NICOLAI Schütten / J. U. D.
Codic. Prof. Publici & Facultatis Juridicæ p. t. DECANI,

*Pro ſummo in Utroq; Jure gradu & privilegijs conſequendis,*

Publicè proponit

JOHANNES HAVELANDT, Palæo-Brandeburgenſis March.

*Ad diem 31. Auguſti,*

In auditorio majori horis ante : & pomeridianis.

---

*Nihil periculoſius quam de vita & ſanguine hominis judicare.*

ROSTOCHII,
Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno M. DC. XXXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn731657063/phys_0003
DFG

Ex Bibliotheca Academiae [illegible]

*Magnificis, Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Prudentiſsimis* VIRIS,

# DN. CONSULIBUS & SENATORIBUS Inclytæ Reipubl. Lubecenſis, Dominis Patronis ac Favitoribus ſuis ætatem colendis.

PAucos prudentiſſimorum ac ſapientiſſimorum inveniri in ſua patria ſepultos; ſed pleroſque nemine cogente avulſis anchoris vitæ navim ad alium portum applicuiſſe; alios Athenas, alios ex Athenis, *Plutarchum, virum Mecaſtor ipſum Sophiæ ſuperantem cacumen, auctorem habeo. Mene ergò abſcedere & diverſùm abire ab illo decet, cum inſuper & illa mihi dicta putem*: Urbem elige optimam, & tibi jucundiſſimam, Patriam eam tibi tempus faciet. *Abſit autem abſcedam à tanto viro, cum ab ineunte meâ ætate, remis veliśq; contenderim pervicaci ſtudio, non, ut hujus terreni globi certæ parti, aut glebæ unquam affixus, ſed ut meâ hâc virili ætate Socraticus, id eſt, ut verbo interpreter, non Athenienſis, &c. ſed mundanus, ſeu mundi civis & incola dici*, eamq́ue patriam ubicunq; benè eſſet, *ut Teucri vocem hic uſurpem, eligere meo arbitratu, poſſem. Atq; hinc factum Magnif. & Amplitud. voſtra putabit, cur ſagaciter motus ſim, quod in patria anchoris veluti ſublatis, ad Urbem voſtram,* DEI *ſolius gratiâ & voſtrâ prudentiâ, tot inter rudera civitatum, florentiſsimæ eheu! olim Germaniæ, propemodum unicè florentem, tanquam ad inſulam fortunatam aut bonæ ſpei caput, proram puppimq; navis, & ſpei, & fortnnæ meæ, curſu non obliquato, ſed plenis ac paſſis velis, adverterim; idq; niſi me Auguria fallunt,* DEO *duce & auſpice, auſpicatò factũ mihi gaudeo & gratulor. Etenim ſi* DEI conciliatoris ductu amicos fieri volunt; ſi DEUS, *ut apud Platonem in Lyſide ſeu de amicitia legere eſt*, ſimilem ſemper ducat ad ſimilem & notum facit; *ſi deniq; ut in vita eſt Titi*

*Pomp. Attici* plus in amicitia valeat ſimilitudo morum quam affinitas, *quis eſt qui mihi non gratabitur quod inclutæ veſtræ Reipubl. jam ipſos viginti annos à conſiliis Secretis, Viro Conſultiß. Clariß.* Dn. Johanne Braun Johan, *usq; adeò perfamiliariter uti occeperim, in eam adventans, jam ut Soceri ſeu parentis loco, eum obſervem & diligam; de cujus genio, fide, integritate, diligentiâ, plura hic adferrem, niſi de me ipſo dicendum eſſet, quod hoc tempore non eſt neceſſe.*

*Cæterùm cum illius in Rempubl. veſtram merita conſtent omnibus, meum verò de vobis Viri Magnifici Nobiliß. Ampliß. Prudentiß. deq; S. P. Q. Lubecenſi, benemerendi ſtudium in occulto velut in horas creſcat, (cujus certa eſt indicina, mea ex patriâ ipſâ Lubecam migratio) an apertius patefacere hoc vobis, aut intimi mei pectoris Magnif. veſtræ deſtinatum cultum & reverentiam, recludere facilius mihi licebit, quã ut opem operamq; veſtram in hoc honeſtißimo meo conamine, inſtar Deorum Tutelarium, devotiſsimè implorem? Quibus quoq; publicum hunc Academicum meum laborem, ideo ſacro, dono, dico, ut cum Reipubl. interſit ex eſſe ex eâ inertes & ocioſos cives, me benignè in tutelam veſtram recipiatis. Et* DEUS *propitius, favor veſter, veſtra benignitas, tempus deniq; faciet, ut, quæ mihi & optima & jucundiſsima, virili mea ætate Urbs viſa eſt, ea olim ſenili mea ætate reapſe dulcis ſit patria & honeſtiſsimum ſenectutis domicilium. Tu vero*

Gentis humanæ bone Dux LUBECAM
Quo ſoles vultu facilis tuere:
Pace florentes in eâ benignè
protege cives:

*Io quo* P. C. *veſtro met omniumq; veſtrum civium pio voto, bono omnine deſino: rogitans enixiſſimè mihi benignè ignoſcatis, quod in veſtram Rempubl. adventans, non auguſtius donarium, quam pauculas has pagellas, & votum, quamvis magno cultu & condigna veneratione prolatum, Magnif. & Amplitud. veſtræ obferam, quod* DEUS T. O. M. *ratum eſſe velit. Valete Dabam Roſtochij* XIX. *Auguſti Anno* M.DC.XXXVII.

Magnif. Nobilit. Amplit.
Veſt.

*Obſervantiß.*

JOHANNES HAVELANDT
Palæo-Brandeburg. March.

*In Nomine Domini noſtri JESU CHRISTI.*

## THESIS I.

MAgiſtratibus ex officio incumbit, pœnas delinquentibus infligere, (A) ut emendentur formidine pœnæ qui virtutis amore à ſcelere abduci nequeunt, (B) pœnaq; unius metus ſit multorum (C).

*(A) l. congruit 13. pr. ff. de off. præſid: l. ita vulneratus 51. §. 2. ff. Ad L. Aquil. (B) l. unic. C. de emend. propinq. cap. ut clericorum. X. de vita & honeſt. cleric. l. ſi pœna 20. ff. de Pœn. (C) l. capitalium 28. §. famoſos 15. ff. d. Pœn. l. 1. C. Ad L. Jul. Repetund. cap. clericos in ſacris X. de cohab. clericor. Theod. Reink. de regim. ſec. & Eccl. l. 2. cl. 1. c. 8. n. 3.*

## II.

Etſi verò magiſtratus nullo exiſtente accuſatore in criminis autores ex publicâ famâ (A) inquirere, eosq; deprehenſos damnare & punire poteſt ac debet, (B) tamen eidem perſpiciendum, ne duriùs aut remiſſiùs quid conſtituat quam cauſa depoſcit (C).

(A) quæ loco accuſatoris eſt, *c. cum oporteat X. de accuſ. (B) l. 3. l. 13. ff. de off. Præſid: l. 4. § 2. ff. Ad L. Jul. Pecu. l. 1. C. de cuſtod. reor. l. 7. C. de Accuſat. Novell. 128. c. 21. Godelman de magis & c. recte puniend. l. 3. c. 3. n. 2. Reinh. Bachov. ad Treutl. vol. 2. diſp. 31. lit. E. (C) l. 11. l. 13. ff. de Pœn. l. obſervandum 19. § 1. ff. de offic. Præſid:*

## III.

Extraordinariam ſanè pœnam, quum ei qui cognoſcit liberum ſit arbitrium causâ cognitâ ſtatuendi, (A) quamvis non regulariter, (B) pro ratione tamen circumſtantiarum ad mortem extendi poſſe, juris clariſſimi eſt. (C).

*(A) l. 1. §. Expliatores in fin. ff. de Effract. & Expilat. cap. de cauſis in fin. X. de offic. & poteſt deleg. l. hodie 13. ff. de Pœn: (B) arg. cap. odia de R. I. in 6. (C) l. 9. ff. de extraord. crim. l. pedius 4. §. 1. verſ. & o-*



mninò

*mnind, ff. de Incend. & ruin. l. 7. §. 3. ff. Ad L. Jul. Repet. l. 4. §. 2. & l. 6. pr. ff Ad L. Jul. pecul. Ordin. crimin. art. 112. ibidemq; Nicol. Vigel. cap. 10. reg. 9. & Anton. Bullæ: Tiraq. de Pœn. temp. cap. 39. Zobel. in diſferent. extravag. jur. civil. & Saxon. n. 15. Farniac. lib. 1. q. 17. n. 34. & 35. Aym. Cravet. conſil. 220. n. 14.*

IV.

Attamen cognoſcenti incumbet ſecundum acta & probata judicare, (A) & ſi deerunt probationes, reus potius abſolvendus, (B) quàm ex nudis præſumptionibus condemnandus erit. (C).

*(A) l. properandum 3. §. et ſi C. de judic. l. ædiles 25. §. 8. verſ. judici enim. ff. de Ædilit. edict. l. fin. C. de Probat. (B) l. qui accuſare 4. C. de edend. l. 2. C. de Probat. l. ſi quidem 9. C. de Except. l. negantes 9. C. de oblig. & Act. (C) l. qui ſententiam 16. C. de Pœn. cap. literas veſtras X. de Præſumpt. Ordinat. criminal. art. 23. Jodoc. Damhoud. pr. rer. crim. c. 76. n. 25.*

V.

Quod ſi factum notorium ſit, ulterior probatio non requiritur, (A) at ſi judici ſaltem notum ſit, non attentâ ejus privatâ ſcientiâ, ulterior probatio requiritur, (B) quamvis negari nequat, iſtius ſcientiam, ſi teſtis omni exceptione majoris perſonam repræſentare poterit, ad ſemiplenam probationem ſufficere, (C) adeoque ad torturam indicium fortiſſimum facere. (D).

*(A) cap. ſuper eo, in pr. X. de teſtib. cogend. cap. tua nos X. de cohabit. cleric. can. prohibentur 2. q. 1. (B) can. presbiter. 15. q. 5. cap. licet ex quadam 47. X. de teſtib. & atteſt. (C) Ordinat. criminal. art. 30. ibidemq; Anton. Bullæ: (D) ordinat. criminal. art. 23. Zang. de quæſt. ſeu tort. reor. c. 2. n. 29. & ſeq. Leop. Hakelm. illuſt. quæſt. diſp. 24. th. 9. in fin.*

VI.

Sed longè aliud obtinet in pœnis conſuetudine introductis, in his arbitrio judicis locus non eſt, ſed judici incumbit in illis conſuetudinem hactenus obſervatam diligenter attendere (A).

*(A) l. ſi*

*(A) l. ſi quis reum 4. ff. de Cuſtod. & exhibit reor. §. 1. J. de off. jud. Andr. Tiraq. de Pœn. in præfat. n. 7. Matth. Weſemb. de LL. in fin.*

## VII.

Nec aliter ſe habet in pœnis quæ ad authoritatem Decalogi tuendam, à DEO ipſo ſancitæ ſunt, illæ mutari non debent, (A) ne à Principe quidem. (B)

*(A) Num. 35. verſ. 31. & 32. Deutr. 19. verſ. 13. (B) arg. cap. cum inferior X. de major, & obedient. Petr. Heig. quæſt. jur. civil. & ſax. lib. 2. q. 24. n. 29.*

## VIII.

Imò judex pœnas jure communi expreſſas absq; evidenti ratione mitigans, variè punitur, (A) illas autem exaſperans, eaſdem pati debet, quas aliis injuſte irrogavit. (B)

*(A) l. 2. in fin. C. de Commerc. & mercatorib. l. nulli in fin. C. ne ſacr. Baptiſm. reit. l. 1. in fin. l. Chriſtianis 6. in fin. C. de Paganis l. ſervos in fin. C. ad L. Jul. de vi publ. l. 1. C. de Defenſorib. lib. 12. Novell. 116. c. 1. Ferdinand. Vaſq. l. 1. illuſt. controverſ. c. 15. n. 12. Proſp. Farin. de delict. & Pœnis l. 1. q. 17. n. 6. (B) l. lex Julia 7. §. fin. ff. De L. Jul. repetund. Tiraq. de Pœn. temp. in præf. n. 12. & ſeq.*

## IX.

Secus tamen erit, quando ex juſtâ causâ (A) & reſpectu circumſtantiarum pœnam ordinariam mitigaverit, aut exaſperaverit; (B) tunc nullam pœnam incurret, (C) eamq; ſententiam Dd. ad pœnas ſtatutarias extendunt.

*(A)* Niſi enim juſta cauſa ſubeſſet, nec appareret ex actis ſententia poſſet nullitatis argui, tanquam lata contra jus conſtitutionis *l. 1. §. 2. ff. Quæ ſentent. ſine appell. reſcind. l. 19. ff. de Appellat. Sebaſt. Vant. de Nullitatib. ſentent. ſub. rub. De nullitate ex defect. proceſſ. ſive ordin. jud. ac ſolen. n. 118.* Et licet alias, ne ullo modo Pœnarum in delinquentes executio malitiosè extrahatur, cauſæ criminales capitales neq; per viam ſimplicis querelæ, neq; per appellationem in Camera Imperiali recipiantur, ratione tamen nullitatis ſi immediatè jurisdictioni Cameræ judex inferior ſubjectus ſit, citatio decernitur, quâ factâ judex criminalis comparere, & legitimè proceſſum eſſe peractum, docere tenetur, repertâq; nullitate, iterum ad eundem judicem inferiorem acta remittuntur quò ordine & legitimè in cauſa principali procedat: *Ordinat. Cameræ part. 2. tit. 28. §. 5. Andr. Gail. l. 1. Obſ. pract. c. 1. n. 28. (B)* in ipſa ſcil. ſententia, poſt condemnationem enim inconſulto principe mutari pœna ſemel lata nequit *l. 45. §. 1. ff. de Re Jud. l. 1. §. fin. ff. de Quæſt. l. 9. §. 11. ff. de Pœn. (C) l. etſi ſeverior 3.*

ubi

*ubi Gloſſ. & Dd. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. Proſp. Farinac. lib. 1. q. 17. n. 7.* etiamſi non cauſam, cur pœna vel mitigatio vel exaſperatio facta ſit, ſed generalitatem videl. ex cauſis animum ſuum moventibus, expreſſerit, cum facultatem alternandæ pœnæ, à lege ipſa habere cenſeatur. *d. l. Etſi ſeverior. l. 11. ff. de Pœn. Mynſing. obſ. cent. 2. obſ. 30. Gail. de P. P. l. 2. c. 9. n. 23.* (D) *arg. l. illud quæſitum 32. pr. ff. Ad L. Aquil. l. ult. C. de Conſtit. princip. arg. l. 2. C. de Noxal act. cap. cum dilectus. verſ. quia nobis X. de conſuetud. Farinac. l. 1. q. 17. n. 11. & ſeq. Guid. Papa deciſ. 206. Mynſing. d. l.*

X.

**I. CAUSA.** Et quoniam ex propoſito, voluntate & dolo delinquentium maleficia diſtinguuntur, (A) ita ut voluntas non exitus in delictis ſpectetur, (B) utiq; ſemper cauſa delicti attendenda, (C) utrum delictum ex propoſito, impetu, vel caſu, ſit commiſſum. (D)

(A) *l. qui injuriæ 53. ff. de Furt. §. placuit 7. Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc. l. fœdiſſimam C. Ad L. Jul. de Adult. l. 1. §. Divus ff. Ad L. Corn. de Sicar. cap. cum voluntate X. De ſentent. excom.* (B) *l. perſpiciendum 11. §. 2. ff. de Pœn. l. Divus 14. ff. Ad L. Corn. de ſic.* Ubi tamen voluntatem non nudam ſed per actum exteriorem maleficio proximum declaratam, *arg. l. 225. ff. de V. S.* intelligimus, cum animo ſolo civiliter non delinquatur *l. 1. in fin. ff. quod quisq; jur. in al. ſtat. l. cogitationum 18. ff. de pœn.* niſi in atrociſſimis delictis, *ſcil. crimine* Læſæ Majeſtatis, *can. quisquis 3. diſt. 1. l. Quisquis C. Ad. L. Jul. Majeſt.* Raptûs ſacratiſſimarum virginum *l. ſi quis non dicam. 5. C. de Epiſc. & Cler.* Aſſaſſinatus *c. pro humani §. fin. de homicid. in 6. huicq; ſimil. b. Cujac. lib. 15. obſ. 25 Gail. de P. P. lib. 1. cap. 14. num. 19. & ſeq.* quod tamen in pœnarum diſtributione etiam cum moderamine accipimus *arg. Ord. criminal. art. 178. l. miles §. 12. in fin. ff. Ad L. Jul. de Adult. l. Sancimus 22. C. de Pœn. cap. quæſivit X. de his quæ fiunt à maj. part. capit. cap. felici. §. illud de Pœn. in 6. Tiber. Decian. tract. crim lib. 7. c. 35. n. 10.* (C) *l. 16. §. 2. ff. de Pœn. l. verùm 39. ff. de Furt.* (D) *l. perſpiciendum 11. §. 2. ff. de Pœn.*

XI.

Si ex dolo malo & proæreſi commiſſum fuerit delictum, nullam excuſationem meretur, ſed pœnâ ordinariâ delinquens puniendus eſt, adeoq; hominem dolo occidens, (A) aut cauſam mortis directò, dolo malo, animo occidendi præbens (B) pœna L. Corneliæ tenetur, (C) uti etiam mandans fieri homicidium, eo propter mandatum ſecuto, æquè punitur ac mandatarius, (D.)

(A) l. n.

*(A) l.1.l. Divus l. penult. ff. Ad. L. Corn. de ſic. l. 1. & ſeq. C eod. (B) l. nihil intereſt 15. ff. Ad. L. Corn. de Sic: Weſemb. ibid. n 12. (C) l. 3. C. de Epiſc. & cler. Ordinat. crim. art. 137. ibidemq; Nicol. Vigel. reg. 5. Treutl. vol. 2. diſp. 32. th. 5. lit. 1. (D) l. 11. §. 3. ff. de injur. l. 1. §. 12. ff. de Vi & Vi armat. l. non ideo 5. C. de Accuſat. Jul. Clar. §. fin. q. 89. n. 1. Anton. Gomez var. reſol. lib. 3. c. 3. n. 39. Juſt. Mejer. Coll. Arg. Ad. tit. ff. de ſicar. th. 4. Tiber. Decian. lib. 9. cap. 32. n. 5.*

## XII.

Attamen dolus probari debet, (A) & licet ſit difficilis probationis, (B) probatur tamen indiciis perſpicuis, (C) præſumptus (D) aliàs ſemper mitius punitur quam verus (E).

*(A) l. quoties 18. §. qui dolo ff. de probat. l. dolum 6. C. de dolo (B) Ruttig Ruland. de Commiſſ. part. 4. lib. 7. c. 7. n. 1. Johan. Zang. de Except. part. 3. c. 13. n. 8. (C) d. l. dolum C. de dolo. l. patronum l. quoties §. qui dolo ff. de Probat. l. ſi prætor §. Marcellus ff. de Judic. Nicol. Boer, deciſ. 101. n. 3. & 4. Treutl. vol. 1. diſp. 11. th. 6. ibiq; Bachov. in not. lit. G. Borcholt de Pact. c. 6. n. 13. (D)* quem nos ad culpam transferimus, in delictorum enim materia diſtinctio illa juri civili non reſpondere, ſed doctrinæ gratia ab Interpretib. propoſita videtur *Tiber. Decian. tract. crim. lib. 1. cap. 4. n. 16. (E) arg. l. abſentem ff. de Pœn. l. fin. C. de Probat.* (niſi præſumptio eſſet violenta & à lege in ſpecie approbata, qualis extat *in l. ſi qui adulterij 34. & Auth. ſi quis ei C. Ad L. Jul. de Adult.) Tiraq. cauſ. 15. n. 2. Proſp. Farinac. lib. 3. q. 87. n. 4. & n. 68.*

## XIII.

Impetu verò ſeu culpâ delinquens, mitius punitur, (A) & quamvis culpa interdum dicatur comparari dolo, id tamen regulariter procedit in actionibus deſcendentibus ex contractu, vel quaſi, (B) & quoties pecuniaria ſeu civilis pœna eſt imponenda, (C) non autem in actionibus deſcendentibus ex delicto, quoties pœna mortis vel corporis eſt infligenda, (D) quamvis non negemus, aliquando culpâ delinquentem capitaliter puniri: (E.)

*(A) l. 1. §. Divus ff. Ad. L. Corn. de Sicar. Tiraq. de Pœn. ca. 14. (B) l. ſi fidejuſſor 29. ff. mandati l. quod Nerva 32. ff. depoſiti l. 226. ff. de V. S. Schneidvv. ad § præterea 3. Inſt. quib. mod. contrah. oblig. n. 14. (C) l. 1. § non alias 2. ff. ſi qui teſtam. liber eſſe juſ. erit. Jerem. Setſer de Juram. lib. 5. c. 6. n. 14. (D) arg. l. in lege Cornelia 7. ff. Ad L. Corn. de Sicr. Jodoc.*



Damhoud

*Damhoud. pr. crim. cap. 58. n. 10. Proſp. Farinac. l. 3. q. 87. n. 18. & ſeq. Ferd. Vaſq. illuſt. controv. lib. 1. cap. 18. n. 28. Franciſc. Connan. comment. jur. Civil. l. 7. c. 3. n. 7. lit. B.* (E) *l. Ad Commentarienſem 4. C. de Cuſtod. reor. l. 38. §. 5. ff. de Pœn:* ſed quoniam *in d. §. 5. verb. finalib.* ſingulare quid conſtitutum videtur, quum homicidium regulariter ſine animo occidendi non committatur *l. 1. §. 3. ff. Ad l. Corn. de Sic.* igitur hujus. §. ſententia non erit in conſequentiam trahenda *arg. l. quod contra. 14. ff. de R. I.*

XIV.

Et quidem culpa delinquitur, quoties rei illicitæ opera datur etiamſi omnis diligentia adhibeatur, ne delictum committatur, (A) & quando licitis quidem rebus opera datur, non autem debita diligentia adhibetur, (B) aut omittitur id, quod omitti non debebat, (C)

(A) *Ord. crim. art. 146. l. 9. §. fin. l. 10. ff. Ad L. Aquil.* (B) *l. ſi putator 31. l. etſi 5. § fin. l. 8 pr. ff. Ad L. Aquil. § 7. Inſt. eod. d. ord. crim. Schneidw. ad §. fin. Inſt. Ad L. Aquil. n. 7. Ferdinand. Vaſq illuſt. contr. lib. 1. c. 19. n. 4.* (C) *l. culpa 50. ff. de R. I. l. 9. § 1. ff. de Falſ.*

XV.

Hinc neceſſitate coactus quaſi, citra ultionem homicidium committens, quum culpâ & dolo careat, omninò non punitur, (A)

(A) *l. vim vi 3. ibidemq; Dd. ff. de Juſt. & Jur. l. 45. §. 4. ff. Ad L. Aquil. cap. dilecto in pr. de ſentent. excom: in 6. Ord. crim. art. 140. verb.* Ohne alle Straffe. *l. 1 l. 2. C. Ad. L. Corn. de Sicar. Andr. Gail. 2. Obſ. 110. n. 20. & l. 1. de P P. c. 11. n. 7. Chriſt. Kremb. de neceſſar. defenſ. q. 1. Gomez. var. reſolut. tom. 3. cap. 3. n. 20.*

XVI.

Rectè citra ultionem dicimus, (A) conrra vim enim manibus & viribus ſe defendere, ulciſci autem, non niſi legitimis actionibus licet, ut occaſio omnis tumultus in republ. evitetur.

(A) *cautè ergò defenſio ab ultione ſecernenda eſt arg. cap. ſignificaſti X. de homicid: l. 45. §. 4. ff. Ad L. Aquil.* (B) *l. non eſt ſingulis 176. ibiq; Phil. Matth. n. 1. & ſeq. ff. de R. I.*

XVII.

Sed primùm invaſus aut provocatus, non dolo malo, verùm calore iracundiæ, ex juſtâ causâ originem trahente, inflammatus, moderamen inculpatæ tutelæ excedens, extraordinariè punitur, (A).

(A) *arg.*

*(A) arg. l. ſi adulterium 38. §. Imperator ff. Ad L. Jul de Adult. l. Grachus 4. in fin. C. eod. l. qui cum major §. libertus ff. de bon. libert. Ordin. crim. art. 142. verſ.* Nehmblich iſt hierin zu mercken *&c. Jodoc. Damhoud. pr. rer crim. c. 76. n. 20. Kremberg. de Neceſs. defenſ. q. 9. n. 45. & ſeq. Proſp. Farinac. l. 3. q. 91. n. 7. Ferd. Vaſq. illuſt. controv. l. 1. c. 18. n. 29. & ſeq. Tiraq de Pœn. temp. cauſ. 1. n. 6. Matth. Weſemb. Reſp. jur. part. 1. conſ. 19. n. 73.*

XVIII

An autem & quando quis moderamen inculpatæ tutelæ exceſſerit, non omnium Dd. eadem eſt ſententia; nos quum certo jure non definiatur, judicis arbitrio relinquimus, (A).

*(A) arg. l. 1. §. fin. ff. de jur. delib. Ord. crim. art. 143. verb* So iſt noch in der Vrtheil der verſtändigen Rath mit fürlegunge aller Vmbſtände ſtatlich zugebrauchen.

VIX.

Quæ ſupra de vi allata ſunt, meritò ad injuſtam vim reſtringimus, magiſtratui enim ob delictum alicui vim inferenti, non eſt reluctandum, (A) uti nec miniſtris publicis legitimè ad capiendum aliquem propter capitale crimen commiſſum, de quo capiendus ſatis eſt diffamatus, miſſis, (B) Et ſi talis adverſùm eos quid machinetur, ob quod cum moderamine inculpatæ tutelæ ſe defendere tenentur, impunè occiditur, (C)

*(A) arg. l. quod reipublicæ 33. ff. de Jujur. Can. non eſt crudelis, can. qui malos. 23. q. 5. (B) Reinh. Bachov. in not. ad Treutl. vol. 2. diſp. 31. th. 4. lit. c. Harp. ad §. 5. Juſt. de Publ. jud: n. 232. (C) l. ſi ſervus 4. C. de his qui ad Eccleſ. confug. ordin. crim. art. 150. verb.* Mehr ſo einer jemand von Ampts wegen/ *Fachin. lib. 9. contr. jur. c. 73. Jod. Damhoud. pr. rer. crim. cap. 15. n. 28.*

XX.

Caſu fortituto, nullâ præcedente culpâ, aliquem occidens, nullâ pœnâ adficitur, (A) hinc Athletæ in colluctatione, virtutis cauſâ ſuſceptâ, ſe invicem lædentes, aut enecantes, à pœna ſunt immunes, (B) ſed ſi aliqua præceſſerit culpa, nimirum ſi forte fortuna delinquens, incumbendo rei illicitæ, aliquem interemerit, omninò pœna erit dictanda, verùm extraordinaria, (C)

*(A) l. quæ fortuitò C. de pign. act. l. 1. in fin. C. Ad L. Corn. de Sicar. Jodoc. Damhoud. pr. rer. crim. c. 84. n. 22. & ſeq. (B) l. qua actione §. ſi quis collectatione l. 9. §. fin. ff. Ad L. Aquil:* quod tamen ad pugiles vulgares, qui exigui, potius lucelli quam virtutis causâ pugnare ſolent, non extenſum volumus *arg. l. 3. ff. de Aleat. l. Unic. C. de Gladiatorib. lib. 11. (C) Ord. crim. art. 146. verb.* Aber dennoch iſt mehr Barmhertzigkeit. *l 7. ff. Ad L. Corn. de Sicar.*

## XXI.

Quomodo autem homicidium in rixâ commiſſum puniri debeat, mirè inter Dd. controvertitur: Sanè ſi multi dolo malo unum invaſerint, & occiderint, omnes L. Cornelia teneri non dubitamus, (A) ſed ſi à multis in rixâ fortuito ſubortâ, percuſſus, unoq; lethali vulnere fuerit mortuus, nec apparet, quis eorum lethale vulnus inflixerit, omnes extra ordinem erunt puniendi, (B) ſi verò conſtiterit de eo qui occidit, ille ſolus de homicidio, cæteri de vulnerato tenebuntur, (C) &c.

*(A) l. 1. §. Divus 3. ff. Ad L. Corn. de Sic. Ord. crim. art. 148. pr. Jodoc. Damhoud. pr. rer. crim. cap. 76. n. 27. Farinac. l. 3. q. 96. n. 72. Gomez. var. reſolut. tom. 3. cap. 3. n. 36. (B) arg. l. abſentem 5. ff. de Pœn. Philipp. Decius in l. favorabiliores 125. ff. de R. I. Tiraq. de Pœn. temp. cauſ. 63. Damhoud. d. c. 76. n. 24.* hinc aſſertio vulnerati in articulo mortis, ne quidem indicium ad torturam facit, *l. ſi quis in gravi. 3. §. 1. ff. Ad Sctm. Silan: Jul. Clar. §. fin. q. 21. n. 17. (C) l. item Mela 11. §. Celſus 3. ff. Ad L. Aquil. d. ord. crim. art. 148. verb.* So aber etzliche. *Gail. 2. obſ. 109. n. 2. Juſt. Mejer Coll. Arg. Ad L. Corn. de Sic. th. 12. Damhoud. d. c. n. 26. Anton. Gomez var. reſol. tom. 3. c. 3. n. 36.*

## XXII.

Furioſus etiam in ipſo furore delinquens, ordinariæ pœnæ reus non efficitur, (A) Sed an puniri debeat ob delictum tempore dilucidi intervalli commiſſum in furore, Dd. valdè inter ſe contendunt: Nos arbitrio judicis committimus (B).

*(A) l: infans 12. ff. Ad. L. Corn. de Sic. l. Divus 24. ff. de offic. Præſid. l. pœna 9. §. 2 ff. Ad L. Pompei. de parricid. clem. unic. de homicid. Proſp. Farinac l. 3. q. 94. n. 1. Tiraq de Pœn. Temp. cauſ. 3. (B) d. l. Divus ff. de offic. Præſid. Diſſ. Dd. communiter.*

XXIII. At

XXIII.

At quando furioſus in ipſo furore, incuriâ cuſtodum, dum eum oſcitanter cuſtodierunt, delictum perpetravit, propter culpam cuſtodes extraordinariè erunt puniendi. (A).

*(A) d. l. Divus ff. de off. Præſid. Tiraq. de Pœn. temp. c. 2. n. 10.*

XXIV.

De Melancholicis mentis alienatione laborantibus, multaq; abſurda & longè à ratione abhorrentia, eaq; omnia metu & triſtitiâ facientibus, cum certo furore non laborent, (A) quid ſtatuendum, quaq; pœna ob capitalia vel enormia perpetrata facinora afficiendi ſint, magni nominis Viri dubitarunt; Eos prorſus abſolvere remiſſius, capitis autem pœnam dictare, ſeveriùs videtur, mediam itaq; ſententiam tueri & extraordinariam pœnam pro judicis arbitrio (B) eis reſervare placet. (C)

*(A.)* Differre melancholiam à phrenitide & maniâ, febri, metu & triſtitiâ, ajunt Medici, contendentes, quod parentes cum ſanguine & lacte materno, quaſi per traducem, melancholiæ ſemina in filios tranſmittant *Petr. Foreſt. lib. 10. med. obſ. 12. quod tamen* illis penitius indagandum relinquimus (*B*) Hoc enim caſu judex arbitrium ſuum temperare debet, ut intelligat, quomodo, quæ de furioſis in jure diſponuntur, ad hos etiam accommodet, *quum hi* delirantium ordinem quandoq; impleant, *Petr. Heig. part. 2. quæſt. jur. civil. & Saxon: q. 38. n. 38. & ſeq.* (C) *arg. l. Divus. 14. ff. de off. Præſid. Heig. d. p. 2. q. 38. n. 44. & ſeq. Anton. Bullæ: ad ordin. crimin. art. 179.* Atq; ſic non *ita* pridem ab *Ampliſſ.* Iuridica Facultate celeberrimæ hujus *Roſtochienſis* Academiæ pronunciatum accepi. Ita tamen ut per aliquod tempus in carcere detineantur, per miniſtros Evangelij de errore admoneantur, & à deſperatione ad fiduciam gratiæ divinæ traducantur.

XXV.

Nec dormientes, quando culpâ vacant, & neſciunt ea, quæ nunc patrarunt facinora, ſibi unquam eveniſſe, (A) vigilantesq; rata non habent, quæ in ſomniis malè geſſerunt, (B) pœnis ordinariis ſubduntur, (C).

(*A*) Secus ſi noverint ſibi aliàs quoq; accidiſſe talia, ut ſcil. dormiendo ſurgerent, arma caperent, alteri vìm inferrent, &c. nec diligentiam adhibuerint, ut huic obviam iretur, arma removendo, ſolùm dormiendo, cubiculum probè occludendo, &c. tunc enim tenentur de culpa *arg. l. ſi putator 31. ff. Ad L. Aquil. l. ſi ſervus ſervum. 22. §. 9. ff. eod. adeoq; extraordinem puniendi, Tiraq. de pœn. temp. cauſ. 5. n. 10. Farinac. de pœn. temp. q. 98. n. 73. Anton. Gomez*

 *var.*

*var. reſol. tom. 3. c. 1. n. 75.* (B) *Menoch. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 327. n. 8. Farinac. d. l. n. 75.* (C) *clem. unic. de homicid:* Nutrix ſtamen dormiendo, & per lectum ſe volutando, puerum ſuffocans, judicis arbitrio extra ordinem punitur *arg. cap. de infantibus X. de his qui filios occider. Gomez var. reſol. tom. 3. c. 3. n. 19. Farinac. d. l. n. 72.*

XXVI.

Sic ob homicidium ex dolore & juſta iracundiæ causâ, durante animi perturbatione, commiſſum, mitigatur pœna, (A) ex propria autem commotione perpetratum, coercetur capitis pœna, (B)

(A) *l. ſi adulterium 38. §. Imperatores ff. Ad L. Jul. de Adult. l. Grachus, in fin. C. eod.* ira enim ſæpè innocentes in crimen abducit *can. ira ſæpe. 11. q. 3.* ut rectè dixerit *Franciſc. Patrit. in Epit. comment. lib. 5.* Multa nonunquam fiunt per iram quæ deinde ſedato animo eos, qui egerunt, mœrore adficiunt. *Tiraq. de Pœn. temp. cauſ. 1. per tot. Proſp. Farin. lib. 3. q. 91. n. 38. Treutl. p. 2. diſp. 32. lit. c. ibidemq; Bachov. verſ.* Furori *comparatur iracundia.* (B) *ordinat. crim. art. 137. verb.* auß gechheit vnd Zorn.

XXVII.

Profundè & enormiter quoq; ebrij, qui ignorantibus & neſcientibus, (A) imò furioſis (B) comparantur, non ordinariâ pœnâ, ſed mitius puniuntur. (C) Quibus autem nullum probrum dies noctesq; potando continuare, quiq: affectatè, datâ operâ, ex perverſa conſuetudine in ebrietate delinquere, rixaſq; movere ſolent, ordinariâ pœnâ tenentur. (D)

(A) *Can. ſane. 15. q. 1.* (B) *can. venter diſt. 35.* (C) *can. inebriavetunt 15. q. 1. l. unic. C. ſi quis Imper. maled: l. 6. §. 7. ff. de re militari. l. 12. in fin. ff. de cuſtod. & exhib. reor. l. 11. §. 2. verſ. impetu autem ff. de Pœn. Tiraq. de Pœn. c. 6. n. 1. Proſp. Farin. lib. 2. q. 93. n. 1. & ſeq. Gomez. var. reſol. tom. 3. cap. 1. n. 73* (D) *ad hoc enim ut aliquem offenderẽt, ebrii facti præſumuntur, nec dolo carere videntur. Gail. lib. 2. obſ. 110. n. 27. Damhoud. pr. rer. crim. c. 84. n. 15. & ſeq. Tiraq. de Pœn. temp. d. l. n. 10. Farinac. d. l. n. 18. 20. & ſeq. Menoch. de arbitr. jud. quæſt. caſ. 326. n. 8. & ſeq.*

XXIIX.

Sed & amoris impetu inter corrivales commiſſum homicidium, quomodo puniri debeat, inter omnes non convenit; Nos niſi adverſæ partis provocatio, aliæq; circumſtantiæ inſignes acceſſerint, delin-

delinquentem ab ordinaria pœna excuſari poſſe, non defendemus, (A). Si tamen cupiditates Venereæ corpus alicujus manifeſtè permutaverint, atq; in furorem & inſaniam adegerint, (B) delinquentem in minus atrocioribus delictis, pro re nata, aliquando mitiori pœnâ plectendum eſſe concedimus (C).

*(A) Gail. 2. obſ. 110. n. 23. (B) Novel. 74. c. 4. quod Salomoni Regum ſapientiſſimo eveniſſe legimus, qui amoris œſtro percitus, mulierum exoticarum idola adoravit, eisq; templum ædificavit 2. Reg. 11 v. 8. Eccleſiaſtic. 47. v. 28. can. Salomon 32. q. 4. & Appio Claudio inter Decemviros Romanos haut poſtremo, qui amore virginis captus, omne fas atq; nefas miſcuiſſe dicitur l. 2. §. 24. ff. de O. Jur. (C) l. 4. §. 1. ff. Ad L. Corn. de Sic. l. unica C. ſi quis Imp. maledix. l. 6. §. 7. verſ. per vinum ff. de Re milit. Aym Cravet. conſil. 1600. in corollario. n. 7. Etiamſi Vice-Rex Neapoli eo non attento, illos qui noctu per feneſtras appoſitis ſcalis amaſiam viſitare vellent gladio enecare juſſerit, referente Claro § fin. q. 60. n. 10. in fin. ubi tamen non propter amorem ſed adſcenſionem cum ſcalis de nocte ad domum alteram, ſecundum illius loci conſuetudinem, ultimo ſupplicio punitos fuiſſe. idem refert Clar. §. fin. q. 68. n. 4.*

XXIX.

